

4
 deasque morum pietati, quod nempe primum ultimumque religionis Arnoldinæ principium est, quid opus est, argumenta curiosè conquirere, quibus veritatem unius religionis præ alterâ stabilias, cum nulla religio ab erroribus sit immunis & si rem Arnoldino oculo (mit unpartheischen Augen) intueamur, omnes, qui hæreticorum hætenus nomine sive in antiquiori sive recentiori Ecclesiæ historiâ traducti fuerunt, rectius circa veram religionem senserint, quam Lutherani? Nobis verò quid rodatur in innocuo hoc instituto carpatque, quibusque rationibus optimorum Theologorum operam perstringat *Arnoldus*, dispiciendum est.

IV. Itaque primò ipsummet institutum, tanquam circa rixas Theologicas occupatum, infructuosum esse decernit. Ad I. ipse Paulus, testes doctrinæ suæ adversus gentiles allegat fidei ipsorum domesticos, Poëtas, Aratum, Menandrum & Epimenidem, *ut proprio ipsos testimonio convinceret*, ait Chrysostronus. Ceu & jam olim Moses ad ipsorum hostium Ecclesiæ suffragium provocavit, Deut. XXXII. 31. Cui mori II. presso pede institerunt vetustissimi Ecclesiæ patres. Irenæus: *oportebat veritatem ab omnibus accipere testimonium, & à domesticis, quoniam & amici, & ab extraneis, quoniam & inimici. Illa enim est vera & sine contradictione probatio, quæ etiam ab adversariis ipsis singula testificationis profert, in ipsâ quidem manifestâ suâ visione convictis de presenti negotio, & testificantibus & significantibus, postea verò ad inimicitiam erumpentibus & accusantibus & volentibus, non esse verum suum testimonium.* (4) Chrysostronus: *semper*

(4) IV, adv. Hær. c. XIV.